Digitized by Google


UNIVERSITEIT GENT

Digitized by Google

B-G. 12057
116

F.V. Inv. Ch. Onghena Sc.

Gent. 116

Gent. 116

DE PVERORVM institutione Plutarchi CHÆRONEI LIBER,

quem omnes scholarum gubernatores patresque familias studiose peruoluãt & obseruent dignus, è Græco tralatus, Ioanne Othone interprete.

XENOPHON.
Inconsulta adolescentum ætas solicitudine demum & cura indiget.

GANDAVI.
Excudebat Cornelius Manilius.
Anno Do. M. D. LVI.
Cum Priuilegio.

Ad lectorem.

Qva pueri debent (teneris ab vnguibus) arte
Formari, vel quo semine, disce pater.
Ætatis florem gaudes vidisse, fatemur,
Ni fructum capias, falleris, ille perit.
Sum mercator, & immersor ciuilibus vndis,
Non vacat has (inquis) vir bone, obire vices.
Sed domus & fundus cui imprudens morte redibunt.
Quid si te viuo prodigus ille ruat?
Heu, teipsum crucians durus Menedemus vt olim,
Ante diem fractus membra dolore cades.
Hunc igitur cedro dignum, nec thura timentem
Nec scombros, librum perlege, volue senex.
Si natura dedit beluis educere fœtus,
Quid doctrina potens hic ratioq; valet?

Clariſs. & ornatiſs. viris,

D. ADOLPHO A BVRGVNDIA,
Dño de Capelle, VVackene, &c. Vrbis Gand. Præfecto,
D. Carolo Gruterio Dño de Exaerde, &c Equiti.
D. Adriano Trieſtio Conſulib. cæteriſq;
ordinis ſenatorij Dominis obſeruandis,
Ioannes Otho Salutem.

QRauiter ſanè & pulchrè a maioribꝰ noſtris dictum eſt, Scholam, veluti paruulam eſſe Rempublicã, vtpote quæ non in operto inſtitui, ſed ſenatus autoritate publica cõfirmari, ornariq; debeat, in qua tanquã fortis & bonus in politia princeps, vitæ integritate & eruditione pœdagogus, ex fontibus ſanæ doctrinæ, ius ſcholaſticũ dictaret, diſciplinã puerilẽ inſtitueret, mores & ſtudia regeret, prauas animorum propenſiones in hac creſcente pueritia coerceret. Diſcentes viciſsim, ſuo præceptori debitam beneuolentiã & honorẽ ſine ſeditione & amarulentia deferrent. Quare & hodie ſapienter vſu receptum eſt, ſcholarum gubernationem Magiſtratus aut Eccleſiæ arbitrio, viris tantum eruditis, orthodoxæ & piæ doctrine ſtudioſis, & morum integritate probatis, perſoluto quotãnis ſtipendio conferri. Sic aliquorum parentum imperitiæ cautũ eſt, ne ſuis liberis imperitos, & impuros alubi magiſtros præficerent. Stipendium verò, non tantum honoris cauſa, Principum aut Senatus liberalitate proponebatur, ſed ne lautio-

ris fortunę adoleſcentes, ſtiuæ vel propter gladiatoriam corporis firmitatem, Martis furoribus potius, quã placidis Muſis, Gratijſq; natos, quæſtus ſui & lucri gratia, diutius cum aliorũ detrimento in ſcholis paterentur. Quare debent ludi moderatores ſuam functionem non leuem neq; iocularem exiſtimare, ſed ſedulo facere, fingere, inuenire quo pacto tam ſanctam, tam vtilẽ laboriosamque prouinciam, ſummo cum Reipub. & eccleſiæ emolumento adminiſtrare poſſint. Idq; facient diligẽtius & libentius, ſi ſeueram illam Chriſti in Euãgelio admonitionem, tanquam in auribus ſecum ſemper circumferant: Sinite paruulos venire ad me &ç. Item illud: Quicunque offenderit vnũ de puſillis his &ç. Quibus profecto verborum cõminationibus motus olim pius & vigilans Magiſtratus, in ſe eum laborem, eamq; diligentiam tranſtulit, ne doctrinæ vel morum corruptela infecti, homines impotenti & ſtolido ingenio, voluptatibus diffluentes, crapula infames, in ſancta hac ſcholaſticæ pubis politia, pro ſuo iure, licentia, & ferocia, barbarorum vel Orbilij more, dominarentur. Verùm cùm nulla alia inter reliquas profeſsiones vna hac ſit grauior, nulla prior, nulla ars quæ ex vſu Reipublicæ magis eſſe poſsit, dolẽdum quòd omnibus fere ætatibus, ſola hæc præcæteris artibus omnibus, vbertate præceptionũ indiguerit. Ideoq; huic libello, quem Plutarchus insignis Philoſophus, in omniũ docentiũ pueros vtilitatem compoſuit, nunquã ab vllo huius metę moriæ ſcriptorum, vel exiguus contigit cõmentarius. Cum Ciceronis interim, & Demoſthenis pleræq; orationes a ſummis viris paraphraſes, cõmẽtarios, adnotationes innumerabiles meruerit.

Pauci de arte inſtituẽdæ iuuẽtutis præcep ta tradiderũt.

Sic ſtre-

Sic ſtrenuè pro ſe quiſq; paſsim contendit omnẽ ætatem & ingenium conſumere, vt in alienis laboribus ingenij ſui præſtantiam, cum magna legentium admiratione, declaret. Et quamuis vnus & alter, noſtro hoc ſęculo extiterit, qui in eodem argumento ſit verſatus, quid hoc quæſo præ immenſo illo nouorum codicum in quibuſuis alijs diſciplinarum generibus exundantium, pelago? Nam ætas hęc doctorum virorũ meſſe lætiſsima, nouis in Galenum & Iuſtinianum elucubrationibus, horrea ſtudioſorum omnia ſic perrupit, vt duæ annorum chiliades, omnibus peruoluendis, & excutiendis vix ſufficiant. Quibus tãetſi medicinæ initiati, in cognoſcendis morborum cauſis, & medendi rationibus, nõ mediocriter iuuentur & Iuriſprudentiæ candidati, ad conſultationes melius inſtructi accedant: tamen horum ſcripto res magnis ſuis ſudoribus, quid aliud quã quod prouerbio dicitur, Hydram ſecuiſſe videntur? Quandoquidem vt domando terribili illo Lernæ monſtro, ab Hercule vno exciſo capite, alia plura renaſcebantur: Ita ingenioſis illis viris accidit, qui dum morborum cauſas, multis æditis libris oſtendunt, & vnum aliquod valetudinis incommodũ auferunt, noua ſtatim febrium cohors, ac ſubinde monſtroſa morborum lues, miſeris parumq; ſobrijs mortalibus incumbit. Sic vna in foro quæſtione perplexa multis commentarijs, verborumq; ambagibus ſublata, noua quædam & iuſtitata cõtrouerſiarũ tempeſtas, in ludicũ ſubſellijs rabioſius ſemper inſurgit, vt quotidie publicæ trãquillitati neſcio quid iminere videatur. Cumq; eodẽ fere modo in ſcholas horrenda ingeniorum mon ſtra tanquam in caueas feræ imanes deturbentur, cum

Litium immodica ſtudia Reipub. funeſta, ſta.

cum quibus lenis alibi & modestus ludi moderator, diu multũq; infeliciter luctari, & vexari debet. Solus tamẽ in sua παιδοτριβικῇ præceptionum facultate & copia destituitur. Accedit his (ne parum infelices pueri, cum parũ in arte sua versato παιδοτριβῃ videantur) quod qui hac tempestate, ingenij & eruditionis nomine bonis doctisq; ad pueros priuatim instituendos commendantur, nolint ad conditionem nostram (vt vulgus iudicat) vilem & despicatam, & omnium pene iniuriæ, & calumniæ obnoxiam descendere. Galeni enim aut Iustiniani ope & studio, ad diuitias erumpere vel ad dignitates emergere, velis remisq; contendunt. Quod si forte quem nostræ huius sortis non omnino semel pudeat, is prouinciam hanc vix biennio ferens, statim adolescentię pedorem, & molestiã pertæsus, laboribus & sordibus scholæ offensus, dum pueros fidei suæ commissos leuiter Grãmaticam nullo honorario publico, sed suo tantum commodo seruiens, docet, vmbratili interim studio, & sedentaria opera, ipse sibi in ea quam proposuit facultate (legum dico aut medicinæ) progressus facit, non sine graui detrimento eorum, quorum mores regere, ingenia pernosse, literisq; excoluisse debuerat. Hoc demũ est vt inquit ille, ex alienis incõmodis sua comparare cõmoda. Hinc vulgi non inanis exorta querela, ex tanta discẽtium frequentia, perpaucos ad summa peruenire, multos in secundis tertijsq; subsistere.

Scholæ indigẽt magistratus præsidio.

Quare Domini Ornatiss. cùm amplissima hęc vrbs, singulari quodam Dei beneficio, priuatis Scholis, & numero discentium, & profitentium literas, præ alijs Flandriæ semper abundauit, & Scholæ sine Principũ & Magistratus liberali præ

sidio

ſidio, diu conſiſtere nequeant, operæpretiũ mihi facere viſus ſum, ſi hoc aureum Plutarchi de puerorum inſtitutione opuſculum, veſtræ Amplitudini cõmendarem, vt hoc qualecunq; Scholarum ornamentũ, diuinitus (vt dixi) huic vrbi datum, beneuolentia & fauore adiuuetis, pio ſtudio publicoq; ſtipẽdio promoueatis. Nõne de Repub. bene meriti ſunt Imperatores, qui Romam Grãmaticæ publicos profeſſores euocarunt? Iudicabant enim excellentes ingenio & virtute viri, nõ eſſe contemnenda quaſi parua, ſine quibus magna conſtare non poſſunt. Grammatica plus habet in receſſu, quam in frõte promittit, vt inquit doctiſſimus ille & ingenioſiſſimus, inſtituendæ Iuuentuti artifex Quintilianus. Alexander Seuerus potentiſſimus Cæſar gloriam cõſequutus eſt immortalẽ, qui ſtudiũ & voluntatẽ ſuam erga eruditos, & præſertim publicã legũ profeſſionẽ, vt declararet, Vlpianum prudentiſs. Iuriſconſultũ, & ſi in Chriſtianos plus paulo vehementiorẽ, ſuo corpore ab iniuria & militũ vi defendere nõ dubitauit. Prædicatur & Frederici Ænobarbi Imperatoris Germanici decretũ, quo ſanxit ne diſcentiũ in ſuis hoſpitijs & Academijs ſecuritas, debitorũ vel delictorũ peruerſa cauillatione ĩterpellaretur. Veſtra quoq; prudentia, & liberalitas, apud õnes bonos nũc & altero quoq; ſęculo cõmendationẽ merebitur, ſi paruulã hanc in vrbe veſtra, ſuccreſcentẽ in literis ſobolem, cuius vtilitatẽ ſempiternã cognoſcet poſteritas, ſingulari cura tueamini. Vos his gradibus aſcendetis in cœlum, quod hæc totius Flandriæ metropolis, Caroli Quinti potentiſſimi Cæſaris (quẽ nobis Deus diu ſeruet incolumẽ) natale ſolũ, huius vrbis ãplitudo & amœnitas,

Quãuis plurimi artiũ probantes profeſſores olim Romam vltro acceſſerit, ſtipendia tamen ex ærario Reipub. Cõſt. & imperatorũ decreto obtinuerunt.

nitas, ciuium splendor, fluminũ cõmoditas, maris etiam perfosis ad Saxiportũ vsq; alueis, nuper a vobis inuẽta vicinitas, feliciter stabiliatur. Deniq; quod sine morum & doctrinæ corruptela, salua hæc Academiola, in optimè constituta Republica pmaneat & augeatur. Valete viri ãplissimi huius vrbis literarum amatores, & nostrã erga Scholas vestras voluntatem, studium, & laborem æqui bo niq; consulite. Existimo autẽ hanc nostram post aliorum tralationem studiosis non inutilem fore

Saxiportus vulgo Tzas

Gandaui Idib. Iunij 1556.

DE PVERORVM institutione Plutarchi

CHÆRONEI LIBER,

ẽ Græco tralatus,

Ioanne Othone Interprete.

QVid de liberali puerorũ institutione, quibus præcedentibus initijs, quibus incrementis, ad eruditionis virtutisque summam perueniant, tradi possit, experiamur.

ATque hic fortasse oportunum videbitur, statim ab ipsa generatione, dicendi initium sumere. Illi ergo, qui laudabilis & honestæ sobolis parens esse volet, ante omnia præcipiam, ne quamuis aut temere, aut casu oblatam puellam, hoc est, pudicitiæ parum integræ, aut quæ

Ad sobolẽ in genuam qualis vxor requi

quæ cum alio consueuerit, sibi vxorem deligat. Indelebilis enim quædam per omnem vitam ignominia, quę facilem cõuitiorum materiam obtrectatoribus præbet, comitari solet illos, qui vel ab altero, vel vtroque parente, parum honesto nati sunt, quod peruidisse mihi videtur poëta ille qui dixit.

ratur aut nati uitas.

Infame fundamentum auorum illustrium,
Ignobiles cogit nepotes viuere.

Feliciter itaq; increpandi licentiam, & in quoscuis dicendi audaciam, sibi vsurpabit, qui bonis verèq; ingenuis maioribus legitime est ortus. Quorum summam habituri sunt rationem, qui legibus moribusque patrijs libere prognatam, & eductam, ex se aliquando prolem desiderabunt. Nam fastus ille immodicus, turgidaq; animi magnitudo eorum, qui adulterinam, & ementitam generis nobilitatem præ se ferunt, euanescere tãdem, & vilescere solet vt rectissime Poëta cecinit.

Nobilitas emẽtita euanescit tandem cũ indignidia.

Seruum facit virum tametsi liberum,
Notæ parentum turpis esse conscium.

Euripides in hippolyto.

Contra insolentia plærumq; efferuntur efferanturq;, quibus honesto & illustri loco nasci contigit. Sic Diophantus Themistoclis filius, apud multos in hoc gloriari solebat, vt si quid sibi rectum videretur, idem quoq; Athenienſibus placere. Nam ipse quod factum voluit, ipsum quoq; & mater, & quod illa probaret, Themistocli non improbari, quod vero Themistocles, Idem cum eo certatim Athenienses vniuersos decernere.

Quin & Lacędemoniorum magnanimitas, bono iure hic quoq; notanda est, qui Archidamum Regem suum pecunia mulctarunt, quod humili statura mulierem, sibi vxorem pateretur.

Refertur in vita Agesilai.

quo non obſcure ſignificarunt, non reges, ſed reginas hoc pacto meditatum Reipublicæ tradere voluiſſe.

Porro ad præſens inſtitutum arbitror nõ male quadrare, præceptum illud à maioribus noſtris nunquam præteritum, oportere omnino ſobrios, aut vino modice alioqui delibato, ſobolis augendæ gratia, ad vxores accedere. Vino enim plus nimio deditos, & temulẽtos ab his demum patribus naſci: qui non niſi belle poti liberis creãdis operam darent.

Quomodo temulenti naſcãtur filij.

Quare Diogenes conſpecto adoleſcente, qui in furibundos affectus per impotentiam animi, inſano non abſimilis ſolebat erumpere. Adoleſcens (inquit) ebrius te ſeminauit pater. Sed de filiorum generatione iam ſatis.

Nunc de morum recta inſtitutione dicamus, idq; breuiter, vt in artibus & ſcientijs alijs ſolemus, ita & in his quoque, quæ virtutis ſunt omnino differendum eſt. Primum tria in omni abſoluta iuſtitiæ operatione concurrere debẽt Natura, cura, & conſuetudo. Curam voco inſtitutionem, conſuetudinem vero exercitationẽ. Porro initia ab inſtitutione, progreſſus ab exercitatione, metæ deniq; ab vtriſq; petuntur, ſi ex hiſce tribus, vnum tantum alubi deſideretur mutilam relinqui virtutem neceſſe eſt. Siquidem natura ſine diſciplina rudis quædam & cæca res eſt. Diſciplina vero parum admodum valet, ſi naturæ beneficio deſtituatur, cæterum ſine vtroque exercitatio, res inchoata tantum, & temeraria videatur. Prorſus vt in agrorum cultu primum terram fertilem, dein colonum induſtriũ, & ruſticarum rerum peritum, poſtremo generoſa ſemi-

Similitudo.

sa semina esse oportet. Sic naturam solo, pœdagogum agricolæ, semina consilijs, & ad vitam recte instituendam præceptionibus, conferre licebit. Quæ omnia in ijs, qui per eruditionem passim decantati & illustres extiterunt, conuenisse sancteq; conspirasse cõtenderim: Sic Pythagoras, Socrates, Plato, & alij innumerabiles ingenij & doctrinæ gloria immortalem apud posteros memoriam sunt consequuti: Felix profecto ille, Dijs hominibusq; præ cæteris charus est, cui tria hæc, propitij cuiusdã numinis beneficio, contigerunt. *In laudatissimis ingenijs tria requiri.*

Errat autem grauiter qui parum ingeniosis, vitia infirmitatemq; naturæ, quantum fieri potuit, immensis ad virtutem & eruditionẽ laboribus, nunquam emendari posse existimat. Bonitatem enim viresq; naturæ, mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, effœminat, doctrina vero & institutio tarditatem ingenij, malitiamq; corrigit: Dein quæ leuia & modica contigerunt, per socordiam amittuntur, cæterum quæ grauia & difficilia sunt, labore & diligentia acquiruntur. *Naturam corrigit institutio.*

Quam vero efficax & vtilis sit studiorum assiduitas, communis etiam experientia testatur. Aquarum stillantes guttæ, durissimas petras cauant, manuum contrectatione ferrum & æs conteritur, lignea rotarum circumferentia, magno molimine detorta, nullo modo, etiam si quis conetur, pristinam rectitudinem recipiet. Incuruos præterea histrionum bacillos difficulter iterũ extendere queas. Adeo quod repugnante natura, vi formatur & industria, durabilius est, & præstantius: quam id quod ipsius quasi instinctu, ductuq; naturæ accidit. Sola ne itaq; hæc, vires *Efficacia institutionis, cõfirmata experientijs communibus, Apophteg mate, & exemplo.*

& diligentiæ vim arguunt ? Imo alia innumera bilia. Ager natura fertilis, nisi assidue excolatur, vepribus & spinis syluescit, & quanto soli vbertate est melior, tanto omissus negligentia, citius emoritur & perit. At si quis alubi fuerit sterilior paulo, & forte quam conueniebat asperior, culturæ tamen assiduitate, generosos paulo post fructus proferet. Præterea arbusculæ quædam tortuose crescunt, & infrugiferæ permanẽt, si negligantur, Contra eædem curatura oportunum vberemq; fructum ædunt. Adhæc nonne corporis robur, & valentia, per desidiam, voluptates, aduersam denicq; valetudinem tanquam abortiuum effunditur, & elumbatur? Contra, quis vsque adeo natura inualidus, & imbecillis vnquam fuit, quin exercitatione, seu lucta campestri, roboris aliquid & firmitatis membrorum, sibi compararit? Adde his eqni strenui domiti, non grauate sessorem admittunt: Indomiti vero duræ ceruicis, ferocesq; euaserunt. Sed quid his recensendis immoror? quum immanes beluas industria & vsu tractabiles reddi, & cicurari videamus.

Quapropter preclare Thessalus quidam interrogatus, quinam Thessalorum essent humanissimi, qui à bellorum inquit studijs abstinuerunt. Sed quid multis opus est, quando habitus ipsos animorum, multo vsu longoq; tempore parari constet: quos qui non absimiles virtutibus dixerit, non vsque adeo à vero aberrare videatur. Vno itaque proposito paradigmate alia omittamus.

Lacedæmoniorum Legislator Lycurgus, vnius partus duos catulos educatione longe dissimilli-

ſimillimos reddidit, effecitq́ue vt hic vorax, ille venationis, & indaginis peritus fieret. Vocata in hoc multitudine: Ecce vobis, inquit, Lacedęmonij ſtatim euidentiſsime oſtendero, conſuetudinem, inſtitutionem, literas, & vitæ certas rationes, non parum ad virtutem momenti ſemper habuiſſe. Duos dein cum lebete carnium, & lepore canes producit. Ibi alter leporem ſtatim inſecutus, alter in ollam carnium facto impetu, inſilijt. Dubitantibus hic Lacedæmonijs quid ſibi vellet, & quid per canes iſtos ſignificaret: hi inquit, ambo eiſdem orti parentibus, ſtudia conſequuti ſola inſtitutione diſsimilia, hic guloſus, ille venator euaſit. Hæc de conſuetudine vitæque inſtituto, Reliquum eſt vt de educatione quoq́ue dicamus.

Æquũ eſſe matres infantes ſuos proprijs vberibus lactare.

Matres ipſas, quantum ego iudico, nutrire ex ſe natos, eiſq́ue ſua præbere vbera æquũ eſt, Sic enim quadam commiſeratione, ſeu potius conuenientia, coniunctioneq́; naturæ, inuicem complexi, educationis moleſtias libentius perferent, quando penitius & quaſi quod dicitur, ex vnguibus liberos ſuos & norint, & amẽt. Nutrices enim ſucciſiuam tãtum & perſonatam beneuolentiam, vtpote mercedis gratia pueros complectentes, præ ſe ferunt. Quod vero matres ex ſe natos lactare oporteat, palam natura ipſa arguit, vt quæ omni animantium generi, viuos ædenti partus, ſucco lactis nutriendi præbuerit facultatem, adeoq́; ſapienter & prouide, bina etiam mulieribus vbera attribuit, vt ſi gemellos contigiſſet parere, fontes quoq́; geminos, vnde hauriant victum, ſuppeditarit. Accedit & his, quod propitiæ matres rectius amantiuſq́; liberis

suis consulent, cum cibi potusq; commune sodalitium, tanquam vinculum quoddam mutuæ sit dilectionis. Nam & bruta quoq; pecora, á collactaneis suis ægre diuelli, mutuoq; desiderio affici videas. Quare vt dictum est summa cura tẽ-

Quid faciendũ si matres liberos suos lactare propter imbecillitatẽ corporis non possunt.

tabunt matres, suis vberibus liberos suos lactare. Verumenimuero si id per corporis valetudinem præstare nequeant, (siquidem tale aliquid non raro vsu venit, quod ad alterius in vtero prolis conceptæ partum sese prẽparent) nutricios, siue nutrices non quas casus aut fortuna dabit, sed ante omnia patrijs moribus, antiqua virtute &

Nutrices quales esse debeãt.

fide præditas, cum iudicio deligant. Quemadmodum enim ab ipsa infantia, corporis membra conformare, vt recta minimeq; distorta, concrescant, necesse est: ita in primis annis morum pue-

Pers. Vdum & molle lutũ est nunc nũc prorẽdus et acri fingendus sine fine mora.

rilium, magnam rationem habere conueniet: prima enim ætatula facile flecti, & formari teneris & nouis adhuc ingeniolis disciplinæ, tanquam salubres liquores infundi poterint, cæterum quicquid vetustate callum obduxit & aspe-

Anilib⁹ apud pueros fabulis abstinendum. Persius. Dum veteres Auias tibi de pulmone reuello.

rum est, difficulter læuigatur, & fere vt signa minimo negocio molli ceræ imprimuntur, ita puerilia quoque ingenia eruditio facillime figurabit. vnde mihi videtur diuinus ille Plato nutricibus sapienter præcepisse, ne fabulis apud pueros anilibus vterentur, quod sic à teneris, animus stolidate & corruptela imbuatur. Quod & Pho-cylides Poëta sensisse videtur.

Teneris tibi paruulus annis.
Moribus est rectis formandus.

Neque hoc interea præterire volo, quod qui filijs herilibus iam adultis, inseruient; in pueritia con-

conuictores ijsdem esse oporteat.

Primum itaq; bonis moribus & ingenio præstãti adolescentes, adsumendi sunt, qui sermonem vernaculum clare legitimeq; sonent, ne ex barbaro flagitiosoq; conuictu, sordium non nihil sibi contrahant. Non enim temerarium est vulgo quod dici solet, Si iuxta claudum habites claudicare discs.

Quapropter vbi ad eam ætatem ventum est, quæ tuto committi præceptoribus possit: Ibi demum diligenter obseruandum, quibus moribus, qua conditione, aut animi natura sint illi, quibus puerum instituendum sis traditurus, ne putidulo, barbaro, versutoq; homini, puerilem indolem imprudenter commisisse videaris, quando hoc iam vsu receptum inualuit, quod supra modum est ridiculum, industrios & frugi seruos, alios agris colendis destinari, alios ad nauium gubernacula extrudi, quosdam rebus emendis & vendendis præfici, nõnullos ad domesticam dispensationem vel fœneratoriã exercendam deligi. Si vero aliquod sunt nacti vspiam iners, temulentum, & gnatonicum mancipium, nullis fere obeundis negotijs, rebusq; alijs agendis idoneum, huic inquam filiorum custodiam & institutionẽ credunt. Oportet enim bonum præceptorem natura omnino talem esse, qualis Phenix ille, heroicis ætatibus, præceptor Achillis extitit.

Quare quod in hisce præceptis præcipuũ & laudatissimum est, hoc loco monendum.

Præceptores vitæ instituto laudabiles, moribus irreprehensos, longo rerum vsu doctos, pueris esse deligendos. Felix enim institutio, omnis vitutis, morumq; honestatis fons est & origo.

Vt tene-

Vt teneriuſculis plantulis agricolæ vallos ſubijciunt, ita boni præceptores, ad vitam recte inſtituendam, æquabilia præcepta & exhortationes iunioribus ſuggerunt, & quaſi affigunt, vt in vitæ integritate, boniſque moribus adoleſcant.

Vt nunc merito quis execretur patres illos, qui (priuſquam maturo iudicio, filijs ſuis præceptorem elegerint) temeritate neſcio qua, ſiue potius negligentia, ab illaudatis & monſtroſis hominibus liberos ſuos inſtitui patiuntur. Quanquam hoc per imprudentiam admiſſum, aliquo modo excuſari, neq; vſque adeo ridiculum videri poſſit, quam illud, quod maxime abſurdum eſt.

Patres nonnunquã ſibi probe conſcios, vel aliorum ſermonibus idem comprobantibus perſuaſos, de quorundam imperitia & vitæ impuritate, cum ſe vinci ſinunt blanditijs eorum quibus oblectantur, filios ſuos nihilominus ijſdem inſtituendos tradere. Sunt enim qui amicorum precibus, ad gratiam in omnibus blandiantur, & quaſi ancillentur: perinde facientes, ac ſi quis morbo laborans, medicum cuius imperitia ſibi pereundum videat, in amici tamen gratiam, præferat alteri, cuius arte & induſtria facile poterat conualeſcere. Aut inter nauigandum peritiſsimo gubernatore poſthabito, aliũ eius artis prorſus ignarum, amici impulſu præferat. Prõ Deum atque hominum fidem, merito ne ille pater dici meretur, qui amici gratiam pluris faciet, quam filij inſtitutionem? Appoſite itaq; peruetuſtus ille Philoſophus Crates, qui aliquoties conſcenſurum vrbis ſuæ locum æditiorem minatus eſt, hunc in modum vociferaturus. Heus quæ vos dementia ciues exagitat? qui conuaſandis opibus,

bus, omnem mouetis lapidem, & nullam interim filiorum vestrorum rationem habetis, quibus illas aliquando estis relicturi? His etiam illud ego adiecissem, istiusmodi patres non aliter facere, quam si quis nulla pedis sui habita ratione, tantum in hoc obstinate incumbat, vt scite sibi calciamenta fiant. Sunt quos pecuniæ sacra fames, ad filiorum suorum neglectum, ne dicam odium, nonnunquam prouehit, eoque adigit, vt contemptos homines filijs suis præceptores patiantur, & ne plusculum pro institutionis mercede numerent, imperitiam ipsam, quæ alioqui comparatu non erat difficilis, summo studio cõsequuntur. Vnde lepido sermone, Aristippus in patrem insulsum & stolidum iocatus est, Interrogatus enim à quodam quantum mercedis pro filij institutione postularet, mille (inquit) drachmas, Ibi pater nimium (me Hercule) postulasti: possum enim mille drachmis mancipiũ mihi aliquod comparare, merito illi tunc Aristippus, Atqui isthoc precio duo tibi comparaueris mancipia, filium videlicet tuum, & illum quem emeris. In summa, nonne absurdum fuerit, consuefacere pueros, vt cibos dextera capiant: si leuam porrexerint increpare, nec prouidere vnquam vt vtilissimis & optimis disciplinis imbuantur? Quid itaque male feriatis istis parentibus, parum diligenter educatis filijs, & perperam institutis vsu venire soleat, vt commemorem hic locus admonet. Cum primum liberius viuendi potestas datur, moderatum omne, sanumq; disciplinarum genus oderunt, accũ iam in abiectas & homine indignas voluptates præcipites ruunt, tum demum quod institutio-

Auari parentes & sordidi.

Xxix. lib. iij f. iiij. d.

Præposterè instituentes incommoda.

nem filiorum tanquam rem nullius momenti habuerunt, pœnitet, animoq; grauiter ob illorum nequitiam discrutiantur. Pleriq; enim in familiaritatem, & quotidianæ vitæ consuetudinem recipiunt eos, qui aliena quadra in otio vt victitent, omnia assentari norunt, hominum genus odiosum & execrabile, pernicies & pestis adolescentiæ. Nonnulli, sumptuosam & procacem Laidem, publica scorta, mercede sibi deuinciunt. Alij rursum, epularum delicijs & commessationibus indulgent. Plures, alea, lusibus, saltationibus & obsonationibus, tanquam fracta naui re perdita, ad inopiam rediguntur. Non Pauci, hisce quæ fert adolescentia malis, adulterijs scilicet, obscœnis libidinibus delibuti, voluptatis studio turpiter tandem mortem oppetunt. At ijdem, si cum literarum & sapientiæ studijs familiariter fuissent versati: dissimilibus semet studijs oblectassent, alubi forte didicissent præclarum illud Diogenis consilium, liberius quidem paulo (vt Cynicus erat) si verba consideres, sin vero rem ipsam, veritati proximum, Abito, inquit, aliquo in lupanar, vt discas illic, sordida quæuis & pœnitenda quàm magno comparentur.

Summa humanæ felicitatis recta institutio.

Porro ne his futura prædicere potius, quàm ad accuratam exhortari videar institutionē, vno verbo expediam. Horum omnium, quæ dicimus, vnum quiddam initia in se, progressus, & fines complectitur, tanquam totius humanæ felicitatis caput & summa, in rectis, sanctisq; moribus, & liberalibus disciplinis institutio: qua sola duce, ad virtutem, vitamq; beatam peruenire posse arbitror. Nam cætera quæ hominibus dicuntur bona, vel momentanea sunt, vel vix

quæ

quæ expetantur digna. Præclara vtpote res est nobilitas: sed, si quid isthic est, quod boni meretur cognomentum: vt à maioribus relictum est, sic eorundem quoq; virtute & gloria partum est. Magnæ diuitiæ plærisq; honori esse solent: verum illas suo iure sibi fortuna vendicat, quas nimirum sæpenumero diuitibus abstulit, illis qui nihil tale expectarunt adiecit. Præterea non exigua opum facultas improbis famulis, seu impostoribus tanquam scopus quidam fuit, volentib⁹, veluti iaculo quodam, marsupia petere: alioqui diuitiæ, vt plurimum seruitijs & latrocinijs obtigerunt. Adhæc honores in Repub. & dignitates obtinuisse, magnifica res & glorioſa videtur, verum controuersa, & instabilis. Sunt qui magnopere expetendam corporis venustatē putent: & illa nihil est fugacius. Corporis etiam habitudo, cum bona valetudine, in precio est multis: verum ea, momento huc atque illuc impellitur. Postremo inter se non pauci de virium præstantia contendunt: at illæ, vel morbo, vel ætate flaccescunt. Imo, is omnino mihi à sano mentis iudicio aberrare videtur, qui ob corporis magnificentiam, & robur, multum sibi tribui debere existimat: quid enim vires humanæ, si cum ea quæ brutis est potentia, & vastitate cōferantur: veluti, Elephantis, Tauris, Leonibus? Sola autem eruditio eorum omnium quæ in homine dicuntur bona, diuina & immortalis habetur. Cæterum duo sunt ex his omnibus, quæ in naturam humanam incidunt præcipua, Mens, & Oratio. Mens imperat orationi: oratio autem menti paret, quæ bonis fortunæ expugnari, fraudibus eripi, ægritudine corrum-

Felicis institutionis encomium.

Ouid. Metamorpho. Et quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra puto.

pi, ætatis decursu conuelli nequit, sola etenim mens confecta senio reiuuenescit, & tẽpus quod alioqui vniuersa alia labefactat, & consumit, senio scientiam auget: bellum deniq; quod fluminis instar hybernis aucti imbribus, omnia secum rapit, & vastat, solam doctrinam, mentemq; homini auferre nequit, vt mihi videatur Megarensis Philosophus Stilpon, illud memoratu dignum respondisse, Demetrius enim solo æquata vrbe, quum captiuos sub hasta venderet, Stilponem interrogauit, num illi quoq; quid perijsset.

Bellum nihil iuris habet in literatos, omnia enim sua secum portãt.

Nequaquam (inquit) nam bellum imbellium est, in virtute & literis nihil habet quod eripiat. Sic Socrates qui Gorgia (ni fallor) interrogante quid ei de Persarum rege magno videretur, num illum etiam beatum felicemq; iudicaret, an ego possim inquit, quum ignorem quam sit doctus, quam vir bonus: docens quippe in illis potius, quam in fortunæ bonis veram felicitatem consistere. Quemadmodum itaque puerorum in liberalibus disciplinis institutione vtilius nihil, magisque necessarium esse iudico, ita rursum illam integram & omnino sanam esse oportere censendum.

Institutionem sanam esse oportere.

Propterea ab ineptis fabulis, actionibusq; leuiculis ostentandi ingenij gratia in vulgus institutis, abstinere iuniores velim. Populo enim plærumq; qui placuit, viro sapienti displicuit, quod hoc dicto testatur Euripides.

Malim in popello differere inornatius
Cum æqualibus pauciq;, doctius loquar.
Oratione is plurimum in populo valet:
Qui inter peritos, nil bene vnquam differit.

Plæriq; enim hoc vitæ sibi institutum deligunt, vt apud

vt apud imperitum & ignobile vulgus, ad gratiã cum admiratione dicere consueſcant, ſed ad gulam & luxum omnia redeunt, & voluptatũ ſtrenui ſectatores fiunt. Neque id mirum, ſi virtutis nullam rationem habeant, qui alijs nouarum voluptatum autores ſunt, & miniſtri, ægre enim quod rectum & ſanum eſt, ſuis ipſorum deliramentis & voluptatibus, aut grauitatem inſolentiæ præferunt. Sed his omiſsis ad potiora, quibus pueri potiſſimum incumbere debent, veniamus. Laudabile imprimis hic fuerit, ſi adſueſcant nihil aut incogitate loqui, aut inconſulto leuiterq; facere, & iuxta prouerbium, Meminerint ardua eſſe, & difficilia quæ pulchra ſunt. Etenim tumultuariæ orationes, neque pro re nata præmeditatæ, vt expeditæ ſunt magnaq; agilitate ad aurem permeant, ſic mala fide res graues nullo ordine tractant, quid prius, quid poſterius proferendum ſit, neſciunt, adeo qui extempore dicunt præter alia innumerabilia, in quæ incurrunt vitia, etiam in immodicam, & odioſam ruunt garrulitatem. Præmeditatum verò dicendi genus, omnium rerum ãteceſſiones & progreſſiones cernit, & orationem à rei conuenientia, aberrare non ſinit. Pericles vt accepimus, vocatus a populo ad dicendum, cùm imparatum ſe fareretur, accedere noluit. Et huius in Repub. æmulator Demoſthenes, Athenienſiũ intimus conſilijs, & aduocatus, cum ſe rem matu se, ſecum nondum expendiſſe & deliberaſſe diceret, in Senatum non venit. Sed ne hæc tanquã domi noſtræ nata, nullaq; autoritate confirmari videantur, in ea quæ contra Midiam eſt oratione graphice, præmeditati ſermonis vtilitas oſtendi-

Extempore dicere adoleſcentes non debẽt.

tur. Ego, inquit, Athenienſes, præmeditatum huc me addicendum veniſſe fateor, magnoq; me ante ſtudio mecum deliberaſſe, nõ diſſimularim. Siquidem infelix omnino, & iportunus videar, ſi tot perpeſſis iam olim, & adhuc indies exercitmalis, nihil penſi habeam, quid de ijs apud vos dicturus ſim.

Quando demũ extempore dicendum ſit, & vbi.

Extemporalem tamen orationis facultatem õnino improbare, tãquam eius nullus in repub. vſus vnquam extiterit, non auſim: ſed ea tantum vtemur, quemadmodum in vegeto & adulto corpore, potionibus & pharmacis ſolemus. Nam ſi quis ad ſolidum illud eloquẽtiæ robur, ætate integra nondum ematuruit: ab eodem nihil cum laude dici extempore poſſe arbitramur. Cæterũ, vbi iam plenioris orationis ſeminaria radices egerint altius (maxime ſi temporis tale quiddã poſtulabit occaſio) liberius expatiari, & extempore dicere licebit. Vt enim qui longo tempore vincti, ſi tandem ſoluantur, primum ingredi nequeunt, ſed ob diuturnam compedum adſuetudinem, claudicant. Ita qui longo tempore ſermonem ſtudioſe conſtrinxerunt, vbi extemporali orationi locus erit, ibi nihilominus tale ſtilĩ genus, quale interpretibus familiare eſt, retinebunt. Quare turpis & vanæ loquacitatis fuerit author, qui iuniores plurimum ſinet extempore, prout quælibet in buccam veniunt, ſcribere & proloqui. Pictor quidam imperitus, oſtenſa Apelli imagine, cum diceret, eam ſe extempore pinxiſſe: Video, inquit, Apelles, etiam ſi nullus dixeris, quòd celeriter, leuiq; manu depicta ſit: ſed cur eodem tempore iſtiuſmodi plures nõ dederis, miror.

Cen-

Censeo itaq; (vt redeat vnde initio digressa est oratio) affectatum, & tragicum, iuxta ac humile, abiectumque stili genus vitandum. Nam vehementer fastuosa oratio inciuilis est, & odiosa: tenuis autem non mouet auditorem. Verum vt corpus non tantum absq; ægritudine, sed etiam integris viribus solidum, & succi plenum: Ita dicendi genus, non tantum vitij expers, sed efficax & robustum esse oportet. Ea demum vere expetenda laudem inprimis merentur, in tuto quæ sunt extra omnem inuidiæ aleam posita. Sed quæ cum periculo tentantur, improbare solemus, & detestari. Idem plane mihi de animi affectibus iudicium. Nam neq; viribus præfidere, neq; ad stuporem vsq; formidolosum esse, expedit. Illud enim impudentiam: hoc vero degenerem arguit vilitatem. Singularis igitur ingenij, & artis fuerit, mediocritatem prudentissimein omnibus tenuisse.

Iuxta illud, Degeneres animos timor arguit.

Libet nunc de literarum institutione differenti, meam sententiam plenius explicare. Ante omnia imperitiæ argumentum esse ingens existimo, vnius tantum membri orationem, deinde & fastidiosam, penitusq; (si quis ea vti sæpius consueuerit) intollerabilem. Continua vocis eiusdem modulatio, satietatem & nauseam adfert: varietas autem delectat, cum cæteris in rebus, tum præcipue in ijs, quæ oculorum & aurium sensu percipiuntur.

Adhæc liberali ingenio adolescens, nullū disciplinarum genus, quæ ad circulum illum doctrinæ referuntur, præteribit, quin obiter artes vniuersas aliquando discat, aut quasi summis labijs deguſtet; quamuis fieri nequit, vt quis absolute

In vniuersis disciplinis aliquid tentandum.

solute in singulis elaborare possit, certe Philosophiæ, primæ partes tribuendæ sunt, & ad eam omnibus ingenij neruis, contendendum.

Meumque iudicium proposita hic imagine libet ob oculos ponere. Vt magnum & memorabile est, plures nauigio adijsse ciuitates: sed in potentissima fixisse sedes consultissimum: Ita obiter reliquas disciplinas attigisse, pulchrum, in Philosophia vero promouisse vtilissimum.

Philosophiæ laus.

Vnde Bion Philosophus lepide. Cum proci (inquit) non possent propius Penelopes familiaritatem consequi, pedissequis illius se insinuabant: sic illi qui ad ipsam Philosophiam penetrare non possunt, in reliquis dignitate inferiorib⁹ scientijs occupati, se exercent: vt vel ob hanc causam, Philosophia iure suo, principatum inter reliqua omnia disciplinarum genera obtinere debeat. Quandoquidem vt corpus valeat, ingenioſi homines duas artes excogitarunt, rationem medendi vnam, & quæ agilia reddat, moderato exercitio corpora, alteram: quarum prior corpori incolumitatem, posterior, bonam eidem dispositionem conciliat. Verum vna, atq; adeo sola, animorum morbis & perturbationibus medetur Philosophia, vtpote in qua quid pulchrum, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, breuiter quid expetendum, quidue fugiendum sit, liceat cognoscere, Deinde quopacto Dijs immortalibus, Item parentibus, natu maioribus, legibus, peregrinis, magistratibus, amicis, vxoribus, liberis, ac domesticis sit vtendum. Æquum esse Deum summa religione colere: Parentes honorare, Maiores natu reuereri, Legibus tanquam cuidam numini parere:

Corporib⁹ medetur Medicina animis Philosophia.

Philosophiæ efficacia.

Magistra-

Magistratibus subijci, familiares amore prosequi, erga vxores caste & modeste affici, liberos mutua charitate complecti, nulla seruos iniuria afficere. Et quod his longe præstantius est, Rebus prosperis non insolescere, neque aduersis animo frangi, voluptatibus non dissolui, iræ per animi impotentiam & feritatem, nunquam succumbere. Hæc inter cætera omnia, quæ Philosophiæ insunt bona, antiquissima maximeque sublimia duxerim. Viri enim fortis est in rebus secundis modeste se gerere: Iisdemque sine vlla contentione, & odio perfrui, mitis est & placidi ingenij: Voluptates ratione compescere, sapientis: Iræ moderari, perpaucorum est hominum. Qui vero politicas virtutes Philosophiæ miscere & coniungere potuerunt, eos excellentes virtute viros & duorum insignium bonorum participes esse iudico: Quod ratione vitæ ad cõmunem omnium vtilitatem comparata, ad Rempublicam accedant. Deinde quod sapientiæ studio freti, contentiones dirimere, & summa cum animi æquabilitate possint viuere. Nam tria sunt studiorum vitæque genera: Primum quod in actione consistit: alterum quod in contemplatione: tertium quod in voluptate. Postremum hoc dissolutum libidinibus alijsq; nõ rectis animorum motibus seruiens, beluarum est. Quod vero consistit in contemplatione, & Theoriticum dicitur, segregatum ab eo quod res gerit, inutile habetur. Porro id studij genus, quod res aggreditur, & tractat, practicumque vocatur, si Philosophia careat, illepida non tantum, verumetiam Rebuspub. pernitiosa res fuerit.
Danda est ergo opera, vt in eam facultatem po-

tissimum incumbamus, cum qua & Reipub. munia obire liceat, & simul Philosophiâ vbicunque res postulabit, retineamus. Ad eum modum Pericles, Architas Tarentinus, Dion Syracusanus, Epaminundas Thebanus, quorum vterque Platoni familiaris extitit, Respub. legibus fundarunt. Verumenimuero cur hic diutius immorari debeam non video, si & his quæ dicta sunt, istud quoque vt perutile, & adprime necessarium adiecero. Nimirum, ne veterum scriptorum monumenta, vt parum vsui futura, negligantur. Imo illorum iusta supellex comparanda est: Hic agricolas imitemur qui ad agrorum cultum, non sibi arma parant: Ita hic plane non libri, sed librorum vsus, vera demum instrumenta sunt, ad comparandam eruditionē, & æquum etiam est ex ipsis fontibus disciplinas non è lacunis haurire.

Librorū copia perneccessaria & vtilis.

Exercitia corporis nō intermittenda.

Neque interea honesta corporis exercitia omittenda sunt, quin iuniores in palestra literaria, moderatis laboribus quoque exerceantur: quod partim venustum & æquabilem membrorum motum, partim etiam vires corpori conuenientes efficit. Commoda enim corporis valetudo in iuuenta, auctoramentum est bene constitutæ naturæ in senecta. Quemadmodum æstate quæ in hyemem necessaria sunt colligere: ita valentiori ætate ad senectutis commeatum, bonæ valetudinis vrgere cursum & modestiam seruare oportet. Eodem etiam modo labores corporis moderandi sunt, vt quasi ex penu parcius peti videantur, ne laborum affectatione fracti & concisi iuniores, præ lassitudine: postea doctrinæ tanquam nouo onere & iniquo premantur.

Nam

Nam iuxta Platonis sententiam corporis defatigatio & immodicus somnus literarum studijs aduersantur.

Sed quorsum hæc ? Nimirum vt ad ea quæ hoc loco præteriri non debent, festinet oratio . In militari disciplina iuniores nonnihil exerceri debent, vt hastis missilibus , tractandis arcubus , captandis feris cum æqualibus certent , vt eorum dispendio qui in certamine inferiores tulerunt, victori honorifica præmia decernantur. In bello enim corporibus , in vmbra à paruulo eductis, neque rapido solis ardore induratis, non est locus , strigosus enim & concursibus aduersariorum adsuetus miles , hostium vim & insultus perrumpit.

Luctæ & bellicæ disciplinæ exercitia, quæ ris nõ præter-mittenda.

Dicet hic mihi forte aliquis quid sibi hoc vult ? quod de puerorum educatione præcepta pollicitus, nihil de pauperum & popularium institutione in medium afferas ? sed solis diuitibus , pro quorum partibus stare videris, præceptiones attemperas ? His facile respondeam , præsertim cum libellum hunc de recta pueros instituendi ratione , omnibus ex æquo vtilem velim . Cæterum si qui tenuioris fortunæ sunt, quam vt meis hisce præceptis vti possint , cum fortuna potius , quam mecum , qui hæc tantum in deliberationem adfero, expostulent . Tamen adnitendum pro viribus, vt optimum instituendi genus tenuiorum quoque liberis adhibeatur.

Occupatio quod hæc præcepta tantum ditioribus accommodari videantur.

Quod si hisce omnino frui nobiscum non possunt, ea decerpant , ijsq; vtantur quibus commode liceat . Ego enim ea solum congessi, & in vnum quasi fascem complexus sum , quæ in genere ad rectam puerorum institutionem cõ-

ferre inprimis ſum arbitratus.

Audiant hæc feri Cyclopes qui volentes ignorant, tenerum pueri ætatem multis minis ſerijs obnoxiã, in quam tamẽ ſuo cædẽdi iure, nimis turpiter abutũtur. Quintilianus.

Præterea in ea plane ſum ſententia vt pueros exhortationibus, & verborum ſuauitate, ad honeſta literarum ſtudia ſentiam prouocandos, potius quam plagis, aut malo cogendos: quæ ſeruis, quam ingenuis adoleſcentibus, magis cõuenire putem, quod flagris & ferocia ad labores excitantur, & indureſcunt: liberalibus autem ingenijs poſthabito illiberali ferociendi modo, laus & infamia, conferunt magis: Illa quidem vt ad honeſta inuitentur, hæc vero vt à turpitudine arceantur. Verum alternis, nunc obiurgatione nunc & laudibus picturatis vti conueniet, vt ſi quando licentia ſe effuderint, acerbis increpationibus contracti, pudore afficiantur: paulo poſt laudibus rurſum animati excitentur. Hic nutrices imitemur, quæ ſi quando infantes ſuos acerbius increpando vagire cogunt, ibi ſtatim pro ſolatio ijſdem rurſus, vbera porrigunt. Cauendum tamen ne crebris encomijs efferant ſeſe, animiſque ad arrogantiam feneſtram aperiamus. Immodicis enim laudibus, ſibi omnia arrogantes, remiſsi & procaces redduntur.

Parentum in amore erga liberos Ataxia.

Ego me quoſdam patres vidiſſe memini, quibus nimium amaſſe, cauſa aliquando fuerit, cur poſtea amarint minus. Sed hoc quid ſit, aut quid hoc dicto velim, libet exemplo clarius explicare. Sunt qui pueros ante tempus apud omnes eruditionis & ſtudiorum titulo commendari velint eoſdemq; grauibus diſcendi laboribus onerant, quibus tandem ſuffocati corruunt, & rerum difficultatibus victi, literas oderunt, quas per ætatem nondum amare potuerant. Vt enim virgulta minuto & quaſi roranti humore facile creſcunt,

cunt, nimio opprimuntur, ita ingenium laborum æquabilitate inualescit, immodicis mergitur.

Danda est igitur pueris a continuis laboribus respiratio, vel ob hoc potissimum, quod totius humanæ vitæ ratio, in remissionis & laboris vicissitudines, sit distributa, vt hinc non tãtum vigilias perpetuas, sed etiam somnum: neq; bellum semper, sed & pacem: non hyemem cõtinuam, sed æstatem: non profestos dies solum, verumetiam festos nacti simus: breuiter quies ipsa laboris condimentum, quod non tam in animatis videre est, quam in ijs quæ animacarent. Etenim arcus & lyras relaxamus, vt eadem liceat, paulo post vehementius intendere. Postremo inedia, & saturitate corpus, animus vero remissione, & labore conseruatur. *Remissio à studiorum laboribus.*

Merentur quoq; reprehendi patres plusquam par est delinquentes, quod vbi semel filios suos præceptorum curæ commiserunt, ita tunc penitus illos negligunt vt nunquam nec considerent ipsi, nec alios percontentur quid cum filio in scholis agatur. Debuerant sane præfixis diebus suos examinare, neque conducti mercede hominis fidei omnia credere. Nam patres suorum in literis diligentiam plurimum augerent, si subinde ad eorum quæ discunt, rationem reddendam, serio cogerent, vt hoc loco non male quadrare videatur illud celebre equorum Domini dictum. Oculus domini pascit equum. *Negligentia parentũ nunquam filios de ijs quæ in scholis discunt examinantium.*

Sed ante omnia in puerorum studijs exercitio, & vsu fouenda est memoria. Hæc enim artium & lectionis veluti thesaurus quidam est, quare Poetæ, sapientes viri, Mnemosynem, Musarum *Discentes strenue memoriã exerceant.*

sarum matrem esse fabulantur, non obscure significantes, naturam ita comparatum esse, nihil vspiam in rerum vniuersitate perinde res præclaras gignere, æditasq; in lucem conseruare, quam memoriam. Quasi naturæ beneficio abundes, siue contra deficias, ea nihilominus diligenter exercenda erit. Sic enim illis, quod à natura iusto maius accesserit, cõfirmabitur: his vero, quod defectu quodam naturæ infirmius est, labore & vsu compensabitur: & illi ea parte præstantiores, licet alios plærosque vicerint, hi certe quotidie seipsis meliores & superiores euadent. Recte enim ab Hesiodo dictum est.

Si minimo minimum adijcias illudq; frequenter
Feceris, id minimum modico fit tempore maius.

Neq; hoc interea patres lateat, eam memoriæ partem quæ disciplinas recipit, non tantum bonis artibus percipiendis seruire, sed etiam rebus maximis in repub. obeundis plurimum momẽti & adiumenti adferre. Ex rerum enim præteritarum recordatione bene prudenterque gubernari præsentia poterunt.

Tuppiloquiũ ab ore pueri.

Insuper ab inepto & scurrili sermone iuniores coẽrcendi sunt. Democritus enim orationem, tanquam vmbram mentis, ciuiliumque actionum esse dicebat. Deinde ita se comparent vt comes sint & non illubenter se adiri, & interpellari patiantur. Nihil enim perinde odium conciliat, atque intempestiua morositas. Tum sine inuidia laudem inuenias & amicos pares, si te familiares in contentionibus neque præfracte neque odiose pertinacem senserint. Non enim vincere tantum, sed etiam nosse, vbi cedere præstet, & vicisse noceat, palmarium est. Vera si-

quidem

quidem est, nota & illustris Cadmæa victoria, quod sapientissimus Poëta Euripides testatur.

Certantibus duobus, irato altero,
Contentioni qui locum dat, plus sapit.

Non omittenda hic interim duxi quædam, præscriptis nõ inferiora, ad quæ iunioribus summo quoque studio enitendum puto: Primum ne vitæ genus sectentur delicijs effœminatum, aut ineptijs dissolutum: Dein vt linguâ compescant, iram coërceant, neque in res alienas cito manus inijciant. Horum singula, per se quantum valeant, exemplis libet confirmare, sed ab eo quod ordine vltimum est exordiar. *Animi habitus à pueritia quales esse debeãt.*

Sunt qui in aliena imprudenter porrecta manu, omnem anteactæ vitæ gloriam effuderũt, vt Gylippus Lacedæmonius qui quod pecuniarum sacculos curiose resoluisset, in exilium Sparta eiectus est.

Adhæc nonne sapientis demum viri est, neq; ira neq; indignatione ita percelli, vt furiose aut temere aliquid aggrediaris? Socrates ab adolescente petulanti, & proteruo cæsus, cum familiares vindicandi percussorem cupidos, molesteferre animaduertisset, Quid (inquit) si me asinus calcibus attigisset, censeretis referiendum? Cum nihilominus omnes omnia maledicerent, illumq; calcitronem appellarent, securo interea minimeq; perturbato Socrate, mortem adolescẽs laqueo sibi conscíuit. Cum Aristophanes Nebulas comœdiam, in Socratem grauissimis contumelijs aspersam edidisset, & quidam ioco diceret: Non succenses Socrates? Non, inquit, per Iouem nunc magis, quam si in frequenti conuiuio, verborum vrbanitate excipiar; Huic etiam non ab-

non abſimile videri poteſt, quod Architæ Tarentino & Platoni accidit. Quorum ille ex bello domum reuerſus (militiæ enim dabat operam) cum agrum ſuum ſentibus vepribuſq; horridum incultumq; vidiſſet: accerſito ad ſe familiæ præfecto: Quo te inquit modo acciperem, niſi iratus eſſem. Plato autem ſeruo impuriſſimo homini offenſus, ad ſe vocato ſororis ſuæ filio Speuſippo, Abi inquit, & percute hunc, ego enim iraſcor plus ſatis. Ardua quidem hæc & adimitandum difficilia eſſe fateor, tamen omnibus viribus incumbendum, vt talium exemplorum commemoratione excitati, intemperantes iræ impetus paulatim à teneris minuamus & perrumpamus. Et ſi neq; rerum peritia, neq; morum integritate alijſq; virtutibus illis conferēdi ſimus, nihilominus ſapientiæ qui nomē dedimus, debemus merito illos tanquam cœleſtia quædā numina, quātum Dij dant opis, imitari. Iuxta illud, Eſt quodam prodire tenus ſi non datur vltra. *Horatius.*

Nunc vt ſupra memini de linguæ moderatione præcipiamus.

Nuſquam intempeſtiue loquendum.

Errat autem falliturq; præter æquum & bonum, qui hoc contemnendum & leue credit. Siquidem loco tacuiſſe, non ſolum ſapientiæ eſt, ſed quauis etiam oratione præſtantius. Quam ob cauſam maiores noſtri, in ſacris ritib⁹ initiandi ſanxerunt, vt quæ iſthic gererētur, nuſquam proferre adſuefacti, eundem quem à Dijs immortalibus metum conceperunt, ad humanorum arcanorum fidem traducerent. Rurſum tacuiſſe, nunquam: loquutum eſſe non raro pœnituit. Adde his, quod ſilentio præterita, facile euulgantur: Verum quod temere emiſſum eſt ſemel,

semel, volat irreuocabile, vt in hustorijs notarim non paucos, qui ob linguæ incontinentiam, magnis semet periculis implicarint: quorum vnũ, aut alterum, ne sim prolixitate molestior, commemorabo. Cum Arsinoen sororem suam Philadelphus vxorem duceret, dixit illi Sotades: Indignam rimulam stimulo petes: Quo dicto, in carcere multos dies duriter afflictus, consenuit & graue intemperantis linguæ præmium tulit: alijs dum breuem risum mouit, ipse diu multũq; in vinculis plorauit. Confine est huic quod de Theocrito Sophista sed longe grauiora passo, memoriæ proditum est. Cum Alexander græcos tunicis purpureis ornari vellet, vt bello victor, in triumpho diem festum celebraret, cumq; in hoc viritim per singulas tribus pecuniam exigeret: Antea inquit Theocritus parum sum assequutus, at iam intelligo, hanc mortem ex Homeri sententia tibi purpuream vocari. Vnde Alexandrum sibi infensum post semper habuit. Adhæc Antigono Macedoniæ Regi vnoculo, cũ oculi vitium exprobraret, bilem mouit. Qui, cũ dapibus antea præfectum Eutropionem, sed tũc ad militarem disciplinam prouectum, in rationes accepti & expensi misisset, illumque Theocritus interpellaret, sæpe repetens illud: Scio quod me crudum Cyclopi epulandum apponere velis: Antigono quod vnum oculum haberet, huic vero, quod coquus esset vitio vertens, Capite ergo inquit Eutropion carebis, & linguæ tuę dicacis pœnas lues: retulitque regi quæ à Theocrito essent dicta, cui ille percussorem misit & Theocritum interfecit.

Puer consuescat vera loqui.

Præter hæc omnia imprimis pium & religiosum fuerit, adsuefacere pueros, vt vera loquãtur, Mentiri enim vt seruile est, ita apud omnes odio & execratione dignum, quod ne in abiectis quidem mancipijs tollerandum. Hactenus de morum puerilium decoro & habitu, certa quædam præcepta audistis: Cæterum in ijs quæ iam dicturus sum, incertus, tanquam in bilance vtrinq; propendens hæreo, neq; in alteram omnino partem adhuc inclinare possum, vt ea suadere ausim.

Vtrum in scholis an domi pueri sint instituendi de eo lege Quintilianũ.

Vtrum in quotidianæ vitæ vsu & consuetudine iuniores relinqui apud eos debeant, qui singulari quadam ingenij facilitate, pueros erudire possunt, An domi à talium præceptorum familiaritate, penitus retinendi vel arcendi veniant.

Nam dum ipse mecum repeto & considero patres quosdam iniquos, nimis sui amantes, & amarulentos, qui ob puerilis ætatis petulantiam filios suos in familias istiusmodi præceptorum incidere nolunt, author siue impulsor hic alicui esse nolim. Contra cum Socratem, Platonem, Xenophontem, Æschinum, Cebetem & huius dignitatis viros quamplurimos mihi propono, qui laudi sibi & gloriæ putauerunt, si pueris ita demum familiariter, & amice conuiuerent, & verborum lenocinio eo ducerent, vt eosdem sic ad liberales disciplinas, Reipub. administrationẽ, morumq; honestatem promouerent: hic immodico tum admirationis, tum æmulationis studio, aliter est animus & muto sententiam, præsertim assentiente illis Euripide vbi ait.

Est quidam amor mortalibus non improbus
Animorum honesta suauium coniunctio:

Quapropter qui Platoni probatur amor, ſtudio exhibendi officij, morum honeſtate, & ſuauitate tẽperatus, non contemnatur. Prẽſtantibus enim autoritate in Repub. viris, licitum credidit, optimos quos vellent adoleſcentes, honeſte complecti. Sed ab his demum, qui ob corporis pulchritudinem turpiter pueros complectuntur, caue-ndum eſt: Breuiter tales corporum amatores, ab animorum admiratoribus, ſecernere decet: & amores iſtos qui Thebanis & Helidẽſibus quõdam in vſu fuerunt, & quem cretenſes raptum appellarunt, deteſtari: eoſque tantum admirari quibus Athenienſes & Lacedæmonij in ſancta vitæ conſuetudine, iuniorum ſeſe moribus & ingenijs accommodarunt. Quare liberum ſit ſuper his volentibus opinari.

Præceptores pæderaſtæ imuendum eſt.

pudici vitãdi.

Sed quia iam multa de modeſtia pueriliũ morum, de his quoq; qui ex ephebis exceſſerunt paucula dicturi pergamus. Soleo tanquam flagitioſi inſtituti authores, ſæpenumero damnare eos, qui magiſtris, & cuſtodibus pueritiæ adhibitis, impotentes iuuenilis ætatis impetus, libere ſine vllo monitore ſinunt cupiditatibus efferri, cum huic ætati acrior cura, & cuſtodia, quã pueritiæ debeatur. Quis enim ignorat puerorum plærumq; errata, aut pœdagogi negligentia, aut inſtitutionis contemptu, omnino & leuia eſſe, aut certe iſtiuſmodi vt ea ſtatim tolli, & minimo negotio emendari queant. Cæterum qui adulta iam ætate inſoleſcunt, grandia non raro, & tetra deſignant facinora, cuiuſmodi fere ſunt, Cibi potuſq; immodica ingurgitatio, exhauſta argento parentum ſcrinia, aleæ, amores intemperantes & laſciui, Strenuæ tanquam propo-

Pueris nõ tantum, ſed etiam adultis, præceptores adhibendi.

sito præmio compotationes, virginum raptus, imparia quæ totas subuertunt familias coniugia. Istos ergo animorum impetus, qui in prauũ facile indurescunt, magno studio reprimere & refrenare æquum est. Flos enim & vigor ille iuuenilis ætatis, vt procax est & effrenis, ita non facile regi, sibiq; à voluptatibus temperare potest: adeo vt qui semel data affectibus licentia, præsenti fortiq; animo ætatis illius furorem non repressérint, impudenter in quæuis dedecora posterius præcipites aguntur. Oportet itaq; prudentes patres annos illos imprimis obseruare, & ad illã demum ætatem expergisci, vt modesti, frugales, & temperantes, doctrina, minis, precibus, consilio, promissis denique reddantur: Etiam ob oculos positis exemplis, tam eorum qui voluptatum studio, in rei familiaris & fundi detrimenta & miseriarum & cupiditatũ incendia prolapsi sunt quam qui laborum tolerantia, gloriã consequuti sunt immortalem. Nam duo hæc tanquam prima elementa virtutis existunt: gloriæ expectatio & infamiæ metus. Quorum illa ad magna & memorabilia animos magis magisq; excitat, hic vero ad patranda flagitia remissiores, & timidiores efficit.

Conuictus improborum fugiendi. Vergilius.

Omnium ergo improborum hominũ conuictum adolescentes declinare oportet: Ne mala vicini pecoris contagia lædant: Id quod obscuris verborum quibusdam inuolucris oſtẽdit Pythagoras, quæ quia ad virtutem non parum momẽti adferre videantur, in medium proposita commemorabo.

Cato. Cum bonis ãbula.

¶Ne gustes ex ijs quibus nigra est cauda, Quo significatur non habendam familiaritatem cum ijs qui

ijs qui nigris sunt hoc est improbis moribus.

¶Stateram ne transilias. Iustitiæ maxima habēda est ratio, quam te nulla in re violare oportet.

¶Chœnici ne insidias. Fugienda est ignauia, & sedulo prospiciendum, vt ea quæ ad victum necessaria sunt, iuste nobis comparemus.

¶Ne cuiuis dexteram porrigas, hoc est, tibi temere quoscunq; conciliare & familiares facere non oportet.

¶Arctum annulum ne gestato. Ne eam instituendæ vitæ rationem deligas, in qua pedicis, aureamlibertatem impediri necesse sit.

¶Ignem gladio ne fodito, Non irritabis sua sponte insanientem satis. Id enim prorsus est pœnitentiæ proximū, quin potius illi locū da, & cede.

¶Cor ne edito, hoc est, Ne vitam tuam alioqui satis per se ærumnosam, & breuem doloribus & curis afflictes.

¶A fabis abstineto, hoc est a Reipub. functionibus abstineas. Antiquitus enim suffragia in creandis magistratibus fabis ferebantur.

¶Cibum in matellam ne immittas. Docet apud hominem nequam, de honestate non esse serio disceptandum, cum enim oratio sit tanquam animi cibus, vitæ tamen humanæ illum corrumpit impuritas.

¶Vbi ad metam veneris nolito redire, cum iā moriendum tibi vitæque finem adesse senseris, nihil exanimatus, mortem æquo animo feras.

Adulatores vitandi.

Cæterum (vt eo redeat quo ante properabat oratio) Cum ab omni malorum, vt dictum est conuictu adolescentes arcendi sunt, tum maxime ab adulatorum, cuius rei ego sæpe patres plærosq; admonere non desino, Iterumq; nunc

etiam admoneo. Nullum hominum genus pernitiosius esse, quodque adolescentes in omnium malorum sentinam citius abijciat, atque prosternat, quam assentatorum, qui vna cũ filijs patres funditus etiam ipsos sæpenumero euerterunt. Horum senectutem mœroribus conficiunt, Illorum inconsultam iuuentutem sic excantant, vt voluptates impuras consiliorum inuolucris tectas, tanquam escam incauti deglutiant. Quandoquidem filijs si sobrietatem parentes re lauta prædicent, isti ebrietatem. Si vitæ castimoniam & modestiam, isti contra lasciuiam. Si patria bona seruare, isti abligurire. Si labores non subterfugere, isti è cõtrario vitę genus ignauum, & lasciuum suggerunt. Vita, inquiunt, breuis & momentanea est, quare genialiter, non parce ac duriter viuendum, quid est quur patris minas tantopere formides, præsertim cũ iam delirus sit, & capularis, qui humeris nostris iampridem ad rogum efferri debuit. Ibi tum forte adducta alicunde ad consuetudinem & noctis copiam meretricula, rapto parentum qui in senectutem repositus erat thesauro & viatico marit⁹ appellatur. O Execrabile hominum genus! & simulatores amicitiæ, qui nunquam ex animo, & syncere audent quæ sentiunt dicere. Diuitibus applaudunt, pauperes præse contemnunt, & tanquam in lyrica disciplina, aut in perdita alioqui Musicorum schola educti à paruulo, ad generosos adolescentes ventris gratia se conferunt, ridentibus vltro arident: Deniqué animo vitæq; instituto, prorsus ad aliorum voluntatẽ tuti per cõpositi sunt, cõditione liberi, studio serui, ad diuitum gratiam loquuntur, & viuunt: qui ni si in-

Prosopopœia.

Bonus cantor bonus cupedia rius.

si indignis ipsimet tractentur modis, ignominia se & graui dedecore queruntur adfici, ne sine causa sordide illi miserèque à suis habeantur. Itaque pater qui accuratissime instituit filium suum volet, impuros istiusmodi alumnos, domo exigere, & sodalitia hæc indigna longe propulsare debet. Ab illis enim præsens periculum, ne bene moratam maximeq; laudatam indolem corrumpant, imminere solet. Hactenus de his quæ ad liberorum rectam institutionem conferunt: Pro epilogo, quid humani quoque patris sit subnectam.

Parentum erga liberorum institutionem moderatio.

Nolo patres nimium duros natura & inexorabiles esse, Imo libenter multumque iuuenum erratis ignoscere oportet, & meminisse aliquando, se quoq; fuisse pueros, & earum tunc affines rerũ, quas fert adolescentia. Verum vt medici acerbas potiones dulcibus diluunt, suauitate nimirũ viã ad bonam valetudinem sternentes: Ita etiam patres seueritatem illam in resecandis iuuenum cupiditatibus, sermonis dulcedine temperare, & lenire debent, & eos aliquando suis affectibus de industria laxatis habenis, quodãtenus relinquere, sed easdem paulo post iterum moderate intendere, & illas iuuenum propensiones ad iterandos lapsus, cum moderatione perferre. Quod si omnino sine excandescentia nequeas, certe irati animi incendium quamprimũ est restinguendũ.

Ira parentum qualis esse debeat.

Nam celerius quam tardius, & grauius patres irasci, melius est. Implacabilis autem ira, & quæ reconciliari non facile potest, animum arguit, neq; ingenue neque candide erga liberos affectum.

Fuerit & illud non illiberale si quædam pater errata volens ignorarit, non secus quam si senectutis vitio, oculorum & aurium sensum hebetem,

in ijs

in ijs quæ quotidie leuiter delinquũtur, circumferat, vt si fortasse quod nolit videat, nõ obseruasse: aut si audierit, non se animum aduortisse simulet. Amicorum delicta toleramus & ad filiorum erratula non conniuebimus? Ad intemperatam famulorum crapulam, nõ statim excandescimus. Si fuit aliquando tempus, quo ad rem fuisti auidior, nunc sis liberalior: Morosior quandoque at iam indulgentior. Per serui fabricam, tibi verba dare ausus est filius, iram cohibe. Ex agro in commessationem ouiculam vnam aut alterã clãte rapuit: Ositans hesternum dissutis vndiq; malis, domum redijt, dissimula. Olet vnguenta, reprime te. Nam & sic quoque iuuenilis petulantia domari poterit.

Prudentis patris est multa dissimulare.

Persius.

Coniugia quibus iuuenibus sint acceleranda.

Cæterum quos morum intemperãtia ita vicit, vt ægre disciplinam admittant, si vllo modo commode coniugio coerceri queant considerandum est. Nam & illud quoque firmissimum retinendæ in officio iuuentuti vinculũ esse solet. Sed tum puellas neq; opulentia, neq; generis claritate maiores filijs suis, patres eligent. Sapientis enim est sibi similem vxorem ducere. Et qui se longe nonnunquam opulentiorem duxere, non vxoribus mariti, sed dotis serui imprudẽter fiũt.

Ouid. Si qua voles apte nubere nube pari.

Parẽtum quædam officia.

Postremo hic obiter quædam consilia parentibus siue præceptiones, tanquam in tabula exhibere libuit. Ante omnia nulquam officio, seu authoritati suæ deesse patres, sed decenter & ordine facere omnia, & seipsos (tanquam virtutis quædã viua simulachra) filijs imitandos præbere oportebit, vt habeant in quorum vitam, tãquam in speculum contemplentur, facta dictaq; omnia turpia, auersentur. Quod si qui eisdem

Plautus. Carere debet

vitijs

vitijs obnoxij, vitia nihilominus filiorum reprehendunt, ſub alterius nomine, ſeipſos vltra accuſant, ac deferunt, alioqui ne ſeruos ipſimet ſuos, libere increpare audent. Accedit & his quod qui tales ſunt, filijs ſuis ad nequitiam, feneſtram aperiunt. Nam vbi proterui, & inuerecundi ſunt ſenes, ibi iuuentutem quoq; impudentiſsimam eſſe neceſſe eſt. Quare omni ſtudio, labore & induſtria parentibus enitendum eſt, vt in vitæ probitate & modeſtia, filij per ipſos proficiant.

Omni vitio qui in alium parat, eſt dicere.

Euridicen tanquam pro exemplari nobilem fœminam admiremur, quæ quum Illyris eſſet, & ab omni humanitate aliena videretur, liberos tamē ipſa ſuos in humanioribus diſciplinis, alieniore ætate inſtituit, cuius erga liberos amorem, elogiū hoc Muſis dicatum ſatis arguit.

Exemplū mulieris filios ſuos inſtituētis.

Eurydice doctis Hierapolitana Camœnis,
Flagrans doctrinæ pectus amore dicat.
Namque bonas artes didicit, quas ipſa docebat
Iam natu grandes, mater adulta ſuos.

Formulas inſtituendi vniuerſas, quas prius attigimus, ſingulatim diligētius excutere optet quis fortaſſe potius, quam poſsit. Huius autem generis plures affectare, felicis ingenij eſt, & laboris indefatigati, quamuis humanæ id naturæ induſtria præſtari poſſe, non dubitem.

F.

Breuis Priuilegij.

NE quis hunc de institutione Plutarchi libellum Ioannis Othonis opera tralatum intra quadriennium imprimat, aut in Brabantia impressum alibi distrahat, præter typographum illum, quem ipse Ioannes Otho ad hunc libellum imprimendū delegerit principali rescripto Cæsareæ Maiestatis continetur: Ex quo & illud significatur, eos qui contra fecerint: quinquaginta Carolinorum, librorūque multam cō missuros.

Datum Bruxellæ Calendis Octobris.

Subscribente. P. De Lens.

Anno Domini

M. D.

LV.

AEditio secunda.